

consecrabatur fundendo super illud simplex unctionis oleum, *Levit.*, cap. VIII, 10. In lege evangelica vero caput episcopi consecrandi inungitur chrysmate, quo significatur Christus JESUS, cujus personam episcopus in pontificali officio repræsentat. Insuper in Veteri Testamento reges ungebantur in capite I, *Reg.*, cap. X, 1 et 4; *Reg.*, cap. IX, 3 et 6. At vero in Novo Testamento, et post adventum Christi JESU Nazareni, quem unxit Deus Spiritu sancto, *Actor.*, X, 38, quique est caput Ecclesiæ, *Ephes.*, I, 22. Principis unctio a capite ad humeros translata fuit; prout in cit. cap. un., h. t. amplius declaratur. Insuper consecratio ecclesiarum nunc longe solemniori ritu peragitur, dum in eis erigitur altare in titulum, quod chrysmate delibutum, Domini nostri JESU Christi, qui altare, hostia, et sacerdos noster est, figuram exprimit; prout loquitur Ecclesia in *Breviario Romano*, die 9 novembris. Tacetur unctio in Confirmatione, atque Extrema Unctione fieri solita, cum hæc sint vera, et proprie dicta Novæ Legis sacramenta, et gratiam digne recipientibus ex opere operato conferant; cum econtra unctiones Antiquæ Legis solum fuerint umbra futurorum, et gratiam, quam significabant, non contulerint. Et hæc quantum ad sacras unctiones.

5. *Historia memorabilis de sancto Martiale, ac ejus collega a mortuis resuscitato per tactum baculi sancti Petri apostoli. Papa cur non utatur baculo?* — Inter alia unum notabile refert Glossa, in cap. un., §. *Propter historiam*, h. t., quod videlicet sancti Martialis, unus ex discipulis sancti Petri, fuerit ille, quem Christus posuit inter discipulos, dum dixit: *Nisi efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cælorum*, *Matth.* XVIII, 3. Eum postea sanctus Petrus una cum alio, Matihæo nomine, ad prædicandum misit in Germaniam: qui cum iret, mortuus est; collega vero ipsius, sive Martialis, rediit ad Petrum. Et Petrus ait ill.: *Accipe baculum, et tangens eum dic, ut in nomine Domini surgat, et prædicet. Et ivit, ac quadragesimo die a tempore mortis tetigit eum, et surrexit, et prædicavit. Atque idcirco (inquit textus ibidem) « Romanus Pontifex non utitur baculo pastorali, tum propter historiam, » quia videlicet sanctus Petrus removit a se baculum: « tum propter mysticam rationem, » quam assignat Glossa ibidem: licet alii Pontifices eodem utantur, cum hi non habeant suam potestatem immediate a Deo, sicuti Papa.*

6. *Mystica significatio baculi pastoralis.* — Designantur autem per baculum pastorem ea, quæ his versibus, a citata Glossa allegatis, comprehenduntur.

In baculi forma, præsul, datur hæc tibi norma.
Attrahere per primum, medio rege, punge per imum.
Attrahere peccantes, rege justos, punge vagantes.
Attrahere, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta

TITULUS XVI.

De Sacramentis non iterandis.

1. *Sacramenta, quæ imprimunt characterem, non posse iterari, de fide est.* — Quæritur I. Quæ sacramenta non sint iteranda, et quomodo? Resp. I. Sacramenta, quæ imprimunt characterem, ut Baptismus, Confirmatio, et Ordo, non posse iterari, hoc est, sæpius accipi, de fide certum est; atque definitum in concilio Florentino, in *Decreto unionis*, ac Tridentino, sess. 7, can. 9. Unde, si in conferendis hisce sacramentis quidpiam fuerit omissum, respondet Pontifex in cap. 1 et 3, h. t. « Non esse aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermisum. » Idque magis patebit ex dicendis in progressu, declarando dubia ibidem de sacramento Ordinis, et Confirmationis præposita.

2. *Imo etiam in aliorum sacramentorum collatione nihil est iterandum.* — Resp. II. Rubrica præsentis tituli non solum procedit in illis sacramentis, quæ absolute iterari, hoc est, sæpius eidem rite conferri non possunt; ut sunt præmissa tria sacramenta, quæ in anima suscipientis imprimunt characterem: sed etiam habet locum in reliquis sacramentis, non quod hæc iterari nequeant, sed quatenus in eorum collatione pariter nihil est iterandum. Ita communis, « Nulli enim sacramento injuria faciendâ est, » ut inquit divus August., lib. I *Contra Donatistas*, cap. 1, ac refertur, in c. *Ostenditur, de Consec.*, dist. 4. Atqui cuilibet sacramento fit injuria, si illud sacrilege reiteretur, c. *Sacramenta*, 1, q. 1, ut puta bis consecrando eandem hostiam, bis absolvendo pœnitentem peracta unica confessione, ac hujusmodi; ergo.

3. *Quid agendum in dubio de valore sacramenti?* — Quod si aliquando rationabile dubium emerit de valore sacramenti, seu an

illud hic et nunc valide collatum fuerit, non illico sacramentum absolute erit reiterandum, sed solum sub conditione, si antea non valisset; prout loquendo de baptismo, expresse decisum habetur in c. *De quibus*, 2, *de Baptismo*, his verbis: « De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo, » etc. Nam ex appositione talis conditionis, utpote a qua validitas actus dependet, jam præcavetur omni injuriæ sacramenti omneque præjudicium sacrilegæ reiterationis evitatur.

4. *Tres aureæ regulæ Scoti circa hoc observandæ.* — Huc faciunt tres illæ aureæ regulæ, quas universaliter in omnibus dubiis, quantum ad materiam et formam sacramentorum, observandas esse tradit Doctor Subtilis in 4, dist. 3, q. 2, § *Tertio de forma*, §. *Circa istam*. Prima est ista: « Si possibilitas adest, via tutissima est eligenda. » Secunda: « Si non adest possibilitas, via tutissimæ proxima est tenenda. » Tertia est ista: « Cessante impossibilitate caute est supplendum, quod impossibilitas prohibebat. » Hæc Scotus.

5. *Explicatur cap. I, h. t.* — Quæritur II. Qua ratione de ordinato in subdiaconum sine impositione manuum, cap. I, h. t., dicitur, hanc esse caute supplendam? Ratio dubitandi est: quia subdiaconus, cum ordinatur, non recipit manus impositionem, can. *Subdiaconatus*, dist. 23. Quomodo ergo necesse est hanc in ipso caute supplere? Ob hanc rationem, quæ adeo videtur urgere ad hominem,

6. *Refertur sententia, asserens textum ejus esse corruptum.* — Respondent I, nonnulli, quos sequitur Barbosa hic, n. 1, et Engel, n. 7, textum incuria librorum esse corruptum: quia, ut inquit Innocentius Papa IV, vera littera hic habet *Diaconatus*, pro *ly Subdiaconatus*; prout etiam in duobus vetustioribus exemplaribus legi, notat Glossa marginalis ibidem. Accedit quoque hanc responsionem videatur appere consuetudo Romanæ Curie: nam Papa, quando subdiaconum ordinat, non imponit manum ut testatur Abbas in cap. h. t. Sicut et *Pontificale Romanum*, auctoritate Gregorii XIII editum, nullam in ordinatione subdiaconi præscribit impositionem manuum. Et hinc data responsio non caret sua probabilitate. Si tamen placeat retinere textum, prout jacet, atque ab antiquo per tot sæcula ab ipsismet Summis Pon-

tificibus toleratus fuit sicque non statim privata auctoritate variandus.

7. *Alia sententia explicat textum illum de manuum impositione deprecatoria, non consecratoria.* — Resp. II. Textus, cit. cap. I, h. t. procedit non de impositione manuum consecratoria (nam talis non datur subdiacono, sed dumtaxat diacono, can. *Diaconus*, dist. 23, quando nimirum episcopus solus ponit manum dexteram super caput ordinandi, dicens: *Accipe Spiritum sanctum*, etc.) sed de quadam manuum impositione benedictoria, seu deprecatoria tantum. Ita Glosa in cit. cap. I, §. *Impositione*. et ibi Abbas § *Opponitur*; Layman, n. 1, h. t. et alii. Nam dari manus impositionem deprecatoriam, patet ex can. *Manus impositio*, 1, q. 1. Qualis proinde manuum impositio jubetur ibidem caute suppleri: quia non dicitur actum, dum aliquid superest addendum, can. *Nihil*, 7, q. 1, et leg. penult. C. *Ad Syllaniam*. et amplius declarat Barbosa, axiomat. 11, n. 1.

8. *Quæ impugnatur.* — Verum etiam hæc responsio patitur jam factam instantiam. Siquidem in ordinatione subdiaconi nulla penitus adhibetur manus impositio, ne quidem deprecatoria; ut liquet ex *Pontificali Romano* loc. cit. Nec juvat recurrere ad particularem consuetudinem locorum, in quibus forsân ea adhiberi solet; tum quia hoc non nisi dividendo asseri potest, cum ex textu nullatenus eruatur; tum quia in collatione ordinum servandi sunt ritus sanctæ Sedis Apostolicæ, c. un., § *Monemus de sacra unctione*. Hæc autem nullam adhibet manuum impositionem in ordinatione subdiaconi; sicque nec eam suppleri præciperet, prout tamen cit. cap. I, h. t. intermissa manuum impositio caute dicitur esse supplenda. Unde dimissa hæc sententia, et salvando textum, ut jacet

9. *Ponitur sententia cæteris expeditior, ac probabilior.* — Resp. III. Per omissam manus impositionem, quæ in cap. I, h. t. dicitur caute supplenda, donec assumptus ad ordinem subdiaconatus permittatur ministrare, videtur intelligi omissa collatio primæ tonsuræ, vel ordinum minorum. Ratio est: quia alibi in jure canonico per manus impositionem intelligitur collatio primæ tonsuræ vel ordinum minorum; ut fit in can. *Quoniam*, dist. 69, etc. *Cum contingat*, 11, *de Etate et qualitate præficiend.*; ergo idem dicendum, in proposito, ut hæc ratione jura concordentur, mutuoque declarentur juribus, sicque horum atque ipsius textus correctio evitetur.

Et ita accipiendo manus impositionem, clara est littera, atque responsio Pontificis in d. cap. i. h. t. data, cum certum sit quod ordinatus in subdiaconum ommissa prima tonsura, vel aliquo ordinum minorum, non debeat in suscepto ordine permitti ministrare, donec ea caute fuerit suppleta; prout habetur cap. i. de *l'herico per saltum promoti*. Atque ideo hæc sententia cæteris est expeditior, et probabilior.

10. *Impositio manus, si præmittatur in ordinatione diaconi, vel sacerdotis, est caute supplenda.* — Quæritur III. An, et qua ratione impositio manus sit supplenda, quando ea fuit præmissa in ordinatione diaconi, vel sacerdotis? Resp. I. Certum est hanc tunc caute esse supplendam, per textum expressum in cap. ult. h. t. ibi: « Presbyter, et diaconus cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali (ritu ab Apostolis introducto) recipiunt. Quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad huiusmodi ordines conferendos, caute supplendum, quod per errorem existit præmissum. Suspendio autem manuum debet fieri, cum oratio super caput effunditur ordinandi. » Hæc ibi.

11. *Cum sit materia partialis dictorum ordinationum.* — Accedit ratio: quia impositio manus dextræ episcopi cum illa verborum forma, *Accipe Spiritum sanctum ad robur*, etc. est materia partialis ordinis diaconatus: sicut et impositio manuum episcopi sub illa verborum forma *Accipe Spiritum sanctum; quorum remiseris peccata*, etc. est materia partialis presbyteratus. Ergo si hæc fuerit præmissa, procul dubio statutis temporibus erit caute supplenda, ne sacramentum ordinis diaconatus, et presbyteratus, vel ob defectum materiæ debitæ sit nullum, vel saltem maneat partialiter solum ac imperfecte collatum.

12. *Omissa in collatione sacramentorum sunt supplenda, licet solum ex præcepto Ecclesie pertineant ad solemnitatem ipsorum.* Nihil censetur actum, cum aliquid addendum superest. — Dices: Impositio manuum non est de substantia ordinis presbyteratus, vel diaconatus, sed mera cæremonia ecclesiastica; ergo frustra jubetur caute suppleri. Antecedens probatur ex verbis cit. cap. ult. h. t. ibi: « Ritu ab Apostolis introducto; » adeoque ea non requiritur ex institutione Christi, qui auctor est sacramentorum, horumque essentialia instituit, atque materiam et formam determinavit. Resp., quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam: nam in collatione

sacramentorum non solum caute supplenda sunt, quæ spectant ad eorum substantiam; sed etiam, quæ ex præcepto Ecclesie, ac præsertim ritu ab Apostolis introducto, pertinent ad solemnitatem ipsorum, ne alioquin ex contemptu omitti videantur, ipsumque Ecclesie præceptum negligatur. Vivianus in *Rationali*, cap. i. et III, b. t. citans alios. Idque patet in sacramento baptismi, quod, si in casu necessitatis, aut alias, valide fuit collatum absque solemnitatibus ex præcepto Ecclesie adhiberi solitis, iterari non debet, licet suppleri debeant cæremonia illæ sacræ, quas ex institutione Ecclesie mos est sacerdotibus adhibere; ut habetur can. *Spiritus*. § *Ecce*. I. q. 1. Unde huc etiam facit illud jam allegatum ex Leg. penult. C. *Ad Syllianum*: « Nihil actum esse credimus, cum aliquid addendum superest. »

13. *Impositio manuum, quæ pertinet ad substantiam ordinis presbyteratus?* — Additur notanter « quidquid sit de antecedenti. » Quia licet in confesso sit, quod prior illa manuum impositio, quæ in ordinatione presbyteri jam ante porrectionem calicis, et patenæ, fit tum ab episcopo nihil dicente, tum successive ab omnibus sacerdotibus presentibus, juxta præscriptum *Pontificalis Romani*, sit mera cæremonia ecclesiastica: tamen loquendo de altera manuum impositione, quæ fit sub illis verbis, *Accipe Spiritum sanctum*, etc. ea pertinet ad substantiam ordinis presbyteratus (sicut et diaconatus) veluti materia partialis ipsius: quidquid contradicant Richardus in 4, dist. 24, art. 4, quæst. 3; Vasquez, in part. III, disp. 238, n. 35; Valentia, Scotus, et nonnulli alii, quos in oppositum citat Tannerus, tom. IV, disp. 7, quæst. 2, n. 61.

14. *Et cur dicatur ritus ab Apostolis introductus? Alio modo fit impositio manuum episcopi in collatione diaconatus, et presbyteratus.* — Unde in forma respondendo, negatur antecedens. Ad probationem dicitur impositionem manuum optime dici: « Ritu ab Apostolis introductum; » eo quod Christus Dominus materiam sacramenti Ordinis non determinaverit in particulari, sive specie infima, sed tantum in genere, nimirum ut conferatur per signa sensibilia, et verba, quæ sufficienter significant collationem potestatis singulorum ordinum, relinquendo etiam Ecclesie, ipsisque Apostolis ejusdem constitutis a se rectoribus, magis specificam eorumdem determinationem; prout uberius declaravi in *Theologia morali*, tract. XIV, dist. 1, n. 20 et

21. dist. 12, n. 36, et seqq. Quia igitur sancta Mater Ecclesia, juxta ritum a sanctis Apostolis introductum, determinavit impositionem manuum episcopi pro materia partiali dictorum ordinum diaconatus, et presbyteratus; recte eadem impositio censetur esse ritus ab Apostolis introductus, simulque materia partialis præfatorum ordinum. Quanquam circa hoc ipsum sit notanda quædam differentia: nam, dum diaconus ordinatur, episcopus manum duntaxat dexteram super caput ejus ponit; quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur, can. *Diaconus*, dist. 23 juncto *Pontificali Romano*: in ordinatione autem presbyteri episcopus utramque manum ponit super caput ordinandi, sub illa verborum forma: *Accipe Spiritum sanctum, quorum*, etc.

15. *Manuum impositio in ordinatione presbyteri omissa, qua ratione sit supplenda?* — Resp. II. Quando in ordinatione presbyteri omissa est posterior manuum impositio, quæ fit sub illa verborum forma, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata*, etc. non est iteranda tota ordinatio, sed duntaxat caute supplenda dicta impositio manuum, pronuntiando simul debitam verborum formam; talisque suppletio est facienda statutis a jure temporibus, quibus cæteroque ordines conferri solent. Ita habetur in cit. cap. ult. h. t. Et ratio est: quia sacerdotium ex duabus partialibus ordinationibus perficitur per quarum primam (quæ fit traditione calicis cum vino, et patenæ cum hostia, sub debita verborum forma) traditur potestas in corpus Christi verum, sive « illud consecrandi; » per alteram vero, quæ fit mediante dicta manuum impositione, datur potestas in Corpus Christi mysticum, hoc est, « absolvendi, et ligandi fideles. » Atqui ex his duabus potest prior stare sine posteriori, licet non e contra; ergo, si hæc solummodo omittatur, sufficit hanc supplere (et quidem eo tempore, quo ordines solent conferri; cum sit quid accessorium ad illos, sicque sequatur naturam principalis) illa vero non erit iteranda, ne alioquin sacramentum imprimens characterem reiteretur, saltem ex parte.

16. *Potestas sacerdotum in corpus Christi, verum potest stare sine potestate in corpus Christi mysticum; sed non e contra.* — Minor probatur ex institutione, atque exemplo Christi Domini, qui Apostolis jam in ultima cœna dedit potestatem consecrandi Corpus, et Sanguinem suum; potestatem vero absolvendi fideles,

primum contulit eidem post suam gloriosam resurrectionem, *Joan.* xx, 21-23. Quod quidem suavissime ab eodem fuit institutum, ut hac ratione nemo posset conscientias fidelium in sacramento Pœnitentiæ judicare, qui non posset prius suum sanctissimum Corpus et Sanguinem conficere: sicque fideles eo libentius conscientias suas illi subicerent, cui ipsemet Christus sese prius subjecit consecrandum, et manibus tractandum: prout jam notavi in *Theologia morali* cit. tract. XIV, distinct. 8, n. 7. (ADNOTATIO LH.)

17. *Omissa manuum impositio respectu diaconatus, quomodo suppleri valeat?* — Et quod hactenus dictum est de supplenda omissa impositione manuum in presbyteratu, idem servata proportione dicendum de omissa impositione manus dextræ episcopi respectu diaconatus: nam ista sola, sub debita verborum forma, erit reiteranda; non cæteræ cæremoniæ, ac solemnitates.

18. *Ac differentia inter hanc et priorem supplendam.* — Nec obstat, quod juxta præscriptum *Pontificalis Romani*, diaconus ordinandus prius accipiat impositionem manus episcopi sub certis verbis, quam traditionem libri Evangeliorum; sicque omisso priori videatur etiam reiterandum posterius, ut dictum in presbyteratu. Non obstat, inquam: quia in presbyteratu potestas in Corpus Christi verum, ex divina institutione necessario præsupponitur ad alteram potestatem in Corpus Christi mysticum, ut proxime dictum est: talis autem necessaria præsuppositio unius potestatis ad aliam, orta ex Christi institutione, nullibi legitur respectu diaconatus.

19. *Quid agendum, si in conferendo Confirmationis sacramento, per errorem non chrisma, sed oleum adhibeatur.* — Quæritur IV. Quid agendum, si in conferendo Confirmationis sacramento quispiam per errorem non chrisma, sed oleo inungatur? Resp. I. In tali casu « non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat præmissum. » Ita ad hoc dubium, sibi propositum, respondet Innocentius III, in cap. i. h. t. relatus.

20. *Refertur sententia eorum, qui asserunt chrisma non esse de essentia sacramenti Confirmationis.* — Et quidem ex hoc textu non pauci canonistæ inferunt balsamum, ex quo simulque ex oleo conficitur chrisma, non esse de essentia sacramenti Confirmationis, sed solum de necessitate præcepti: alioquin enim (inquiunt) non solummodo foret supplendus